

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0735

0733

0739

0729

0744

0724

0784

0684

0834

0634

0234

Ende

Anfang

162

videatur intumescere, suos fines exit. Quidam tamen aestimant, quod per occultos meatus continuetur cum aquis Marath, de quibus fit mentio Exodi 15., ut dictum est fol. 199. B. Ex his patet maris mortui descriptio, collecta ex ejus nominibus.

De deserto beati Hieronymi et de ejus monasterio
ibidem.

Igitur cum mare mortuum juxta desiderium nostrum vissemus, inde velocius recessimus, quia sol jam occasum petebat; processimus autem contra aquilonem supra maris mortui principium, non longe a loco, ubi Jordanis illabitur ipsi, et inde in solitudinem vastissimam venimus Jordanis, in qua nec plantae, nec herbae aut virgulta sunt, sed terra sabulosa, adusta solis ardoribus, plena cumulis arenae per ventos comportatae. In his cumulis et monticulis processimus cum magna nostra et bestiarum fatiga, sicut in nive profunda et densa procederemus. Porro in ipso sabulo deprehendimus vestigia nova asinorum multorum, de quo providi facti fuimus, timentes, ne forte in tenebris incideremus in aliquem cuneum Arabum, aut (242 A) quod essent in loco, in quo nos per noctem quiescere decreveramus, et ita suspensi in haesitatione substitimus. Nolebamus enim nos convertere ad montana Israel, sed locum quandam, ut patebit, in illo eremo visitare volebamus, contra quem locum vidimus gregem asinorum per quandam clivum arenosi montis adscendere ante nos, quod cernens Ameth, dux noster, statim cecidit de equo suo, et sui servi similiter, et arreptis gladiis et arcubus suis currenunt sicut cervi per sabulum post gregem illum, volentes praedam rapere, si possent. In illis enim terris nemo ab invasione securus est, sed fortior debiliorem insequitur et aufert arma et spolia ejus, si eum potest apprehendere: ideo a louge contra se præparantes aut una pars fugit, aut ambae partes contra se invicem acies dirigunt ad dimicandum simul, non quidem pro vita, sed spoliis et praeda. Cum ergo Ameth et sui gregem illum per longum spatium inseculi fuissent, cognoverunt, non esse gregem asinorum domesticorum, sed onagrorum, quos capere nullatenus possent, quia velocissimae ferae

